

Ausseretur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. Potest etiam dici gratia Spiritus Sancti, secundum illud : Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto ; et infra : Eccē regnum Dei intra vos est. Potest etiam dici gloria æterna, juxta illud : Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

R. Iste est.

**LECTIO VIII.**

Omnibus his modis Apostoli sunt missi prædicare **regnum Dei**, scilicet veram doctrinam, divinam gratiam et æternam gloriam. Et quia propter auctoritatem prædicationis concesserat potestatem curationis, ideo subdit : Et sanare infirmos, scilicet misit ad confirmationem veritatis prædicare, secundum illud : Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis. Unde signum missionis spiritualis ad prædicandum est sanatio audientium a morbis vitiorum.

R. Sint lumbi.

*Imprimatur :*

L. D. A. MARECHAL, V. G., Adm

Marianopoli, die prima februarii 1891.

Lectio ix. de Homilia, et  
comm. Feriae occurrentis in  
Laud.

*Extra Quadrag.*

**LECTIO IX.**

Tria autem sunt signa evidencia, quibus probatur utrum prædictor a Domino sit missus ad Evangelium prædicandum. Primum est auctoritas mittentis, cuiusmodi est Pontificis, et maxime Pontificis summi, qui est loco Petri, imo Jesu Christi : unde qui ab eo mittitur, a Christo mittitur. Secundum est zelus animarum in persona quae mittitur, quando scilicet principaliter quærit Dei honorem et animarum salutem. Tertium est fructificatio et conversio auditorum. Per primum sunt nuntii Patris, per secundum Filii, per tertium Spiritus Sancti. De primo : Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. De secundo : Non enim nosmet ipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum. De tertio : Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Et qui sic mittitur, potest dicere illud : Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.

Te Deum laudamus.